

expulerunt, eumque tenuerunt. Oppidani domus nostro more habent exædificatas, colore ipsi inter nigrum albumque, vestibus liberaliter induti. Aliis post hos relictis populis, mare Rubrum ingressi complures nigrorum item & bonorum hominum ac bello fortium civitates adierunt, qui natis statim fœminis naturam confluunt, quoad urinæ exitus ne impediatur: easque cum adoleverint, sic confutas in matrimonium collocant, ut sponsi prima cura sit conglutinatas atque coalitas puellæ oras ferro interscindere: tanto in honore apud homines barbaros est non ambigua ducendis uxoribus virginitas.

Ac Lusitanis mediam Rubri maris partem transgressis, Zides se oppidum obtulit amplo cum portu, ad quod quidem Indici populi suas merces convehabant. eas Aegyptii, qui eo loci mercaturæ causa quotannis convenire consueverunt, camelis imponebant, Alexandriamque perferabant: quas quidem Veneti merces, statò anni tempore eam ad urbem adnavigantes, coemebant, domumque convectas omnium gentium mercatoribus, ea se de causa vulgo petentibus, venditantes, incredibili auri proventu civitatem locupletabant suam. Sed posteaquam ad eas regiones Lusitani venerunt, magna rerum commutatio est consequuta: quidquid enim fere mercaturæ causa ex omnibus Arabiæ Indiæque locis mare Rubrum importabatur, ipsi emere domumque convehere cœperunt. qua adductus necessitate rex Aegyptius anno ab urbe condita millesimo octogesimo, Zidentium in portu, qui quidem in intimi ejus maris sinu sunt, classem magno sumptu comparavit, ut ab Indiæ maris navigatione Lusitanos averteret. sed ab illis ad Dium in ostio Indi fluminis oppidum victus, classe capta atque incensa, rem inchoatam reliquit. Zidentenses nullam postea, vel omnino modicam rerum Indicarum advectionem habuerunt: ita Aegyptios Venetosque instituta antiquitus mercaturæ ratio, quæ intercipi nullo posse tempore videbatur, alio conversa prope deseruit. Neque hercule propterea Lusitani finem progrediendi fecerunt: sed ad complures Arabici, Persici, Indicique infulas